

ITER  
FRIDERICI III. SAX. ELECT.  
HIEROSOLYMITANVM  
A L. CRANACHIO IN TABVLA LIGNEA DEPICTVM  
DESCRIBIT

ET INSTITVTVM  
GENEROSISSIMI IUVENIS  
ERNESTI GOTTLÖB  
A KIESENVVETTER  
EQVITIS LVSATI

LIBERALITATIS SCHÜTZIANAE MEMORIAM  
ORATIONE

A. D. XXVIII. APR. AN. DIONYS. MDCCLXVII

IN AVDITORIO MAIORI  
CELEBRATVRI

CIVIBVS ET STUDIORVM FAVORIBVS  
COMMENDAT

ACADEMIAE VITEBERGENSIS RECTOR  
ERNESTVS FRIDER. VVERNSDORFIVS  
THEOL. D. ET P. P. O. ALVMNOR. ELECT. EPHORVS.



Hist. Saxon.

B.

150,30

*H. Langhans, Bey*

*Caps. 635*



ITER

FRIEDRICH SAALFELDT

PHYSICUS

A. C. SAALFELDT

DU

GENEALOGICAL TABLE

OF THE HOUSE OF

A. K. SAALFELDT

BY

FRIEDRICH SAALFELDT

OF

A. K. SAALFELDT

PHYSICUS

OF

A. K. SAALFELDT

OF

A. K. SAALFELDT

PHYSICUS

OF



DE  
PERACTI A FRIDERICO III. SAX. ELECT.  
HIEROSOLYMITANI ITINERIS TABVLA  
A LVCA CRANACHIO SEN.  
PICTA ET IN AEDE O. O. D. D. VITEBERGENSI  
SVSPENSA ET SERVATA

**E**x multis et elegantissimis picturis, aliisque uenerandae antiquitatis monumentis, quae ante septennium funesto illo academicae aedis incendio perierunt, superat adhuc Tabula lignea a Luca Cranachio Sen. affabre picta, peracti a Friderico III. Sax. Electore, itineris Hierosolymitani memorabilia repraesentans.

Cuius quidem, etsi mentionem faciant WOLFG. FRANZIVS *a)* IOH. MEISNERVS *b)* aliquid etiam de ea narrare tentet MATTHAEVS FABER *c)* illi tamen iusto breuiores, nihil quod, uel ad religionem, quae tum in itinera dominica, (*Herren-Reisen*) Palaestinam uersus, Principes coniciebat, uel ad historiam illius temporis, uel res Palaestinae rectius cognoscendas facere possit, attulerunt.

Itaque data hac a Generosissimo Oratore scribendi opportunitate, cuius institutum iam commendandum est, de hac itinerarii tabula, praecipue, quod ex compluribus picturis, quas ignis absumsit unica seruata superest, paullo plenius dicamus, eaque orbitatem nostram, quod unice possumus, nunc consolemur. Si enim per summam liberalitatem

A 2

fieri

*a)* Erzählung der Heilighümer in der Schloßkirche zu Wittenberg. Witt. 1618. in 8. p. 12.

*b)* In *Descriptione Ecclesiae Collegiatae* OO. SS. p. 149. quae addita est eiusdem *Reform. Jubelfest* Viteb. 1668. in 4.

*c)* *Historische Nachricht* von der Schloß- und academischen Stiftskirche zu aller Heiligen in Wittenberg p. 201. edit. secunda Witteb. 1730. in 8. cum *Praefat.* b. *Patris* mei iterata.

*d)* Re-



fieri posset, ut templum, quod feliciter iam surgit, multo splendidius, quam antea, exornaretur, frustra tamen putabis, iacturam, quam una atra die, praeclaris antiquitatis monumentis amissis, fecimus, ullo auro uel argento refarciri posse. *d)*

Constat nimirum, FRIDERICVM III. Pr. Elect. Sax. SAPIENTIS elogio posteritati commendatum, septimo post susceptum Electoratus Saxoniae imperium anno, nempe An. MCCCCLXXXIII. Palaestinam petiisse, relictis testamenti tabulis, quibus, si fato concederet, terris suis et praecipue pauperibus litterarum studiosis prospexerat. *e)* Memoratur enim religionis studiosissimus fuisse, et quemadmodum post ea, collustratus Lutheri doctrina, nihil admisit, quod non sacris et diuinis libris praeceptum contineretur, ita, antecedente tempore consuetudini illorum temporum in religionis negotio, et ritibus etiam superstitiosissimis, satisfacere studebat. *f)* Iam a quarto P. C. N. saeculo religionis quoddam genus oriri coeperat, ut in Palaestinam *g)* tanquam terram reliquis Deo gratiam

*d)* Recte S. Venerab. WEICKHMANNVS noster Progr. Natalit. I. C. an. 1760. P. P. iudicat, his monumentis multam inuisisse admonitionis vim, quibus e frugifero conspectu sublatis, uideri rerum grauissimarum simul sublatam recordationem. Sublatae sunt picturae, arte Alberti Dureri, et Cranachiorum nobilitate clarae, atque ex D. Lutheri imaginibus duae praecipue, quarum altera *minoris formae* penicillo Cranachii Sen. formata a b. KINGEMAYERO libello singulari *de D. Lutheri oris et uultus habitu heroico* Viteb. 1750. in 4. ed. descripta habetur; altera a Cranachio filio in tabula lignea *formae maximae* picta, conspicitur in aere incisa, in fronte *Historiae Reformationis*. a GODOFR. HECHTIO cum Praefat. b. Patris mei a 1717 in 8. editae. Eam quum Lucas filius iussu Academiae a. 1562. pingeret, aliam artificio, forma,

ornatu, eidem plane similem sibi suisque effecit, et in aedibus suis repostam familiae et mihi post duo saecula reliquit, ad quem illa cum aedibus peruenit. Exsoluam igitur fidem de anathemate ante hos sex annos Academiae datam, et hanc D. Lutheri imaginem e loculis aedium mearum, instaurato templo academico, eidem inferri curabo.

*e)* Exhibet eas GEORGIVS FABRICIVS *Saxon. illustratae* l. VIII sub. initium.

*f)* Iter religioni Principis attribuit PHIL. MELANCTON *Orat. funeb.* in Frid. Sax. T. II. Declamat. p. 572. idemque *religiosum* appellat FABRICIVS c. l. IOH. SEBAST. MÜLLER *Annal. Sax.* p. 56 scribit: *Er begab sich aus sonderlicher Devotion zum heiligen Grabe.*

*g)* Mouit olim alios necessitas, *Denz.* XV. l. 13. alios curiositas I Reg. l. alios religio *Aëtior.* VIII. 27. multos crudelitas

tas



rem peregrinationes in animae salutem, opinione meritorum, instituerentur. *b)* Quae, etsi ab antiquae ecclesiae doctoribus, praecipue GREGORIO NYSSENO *i)* uehementer reprehenduntur, posterioribus tamen saeculis eam consequutae famam sunt, ut magni Principes partim gloria, *k)* partim uoto *l)* uel reliquiarum

A 3

tas 2 Reg. XXV. 9. ut Hierosolymam uisitant, postea res immanem in superstitionem degenerauit. Praetexta quidem fuit religio, sed certum est, Occidentis Principes, qui sic dictas in Palaestinam expeditiones susceperant, magis regionem quam religionem spectasse, minusque iusta fuisse eorum itinera docuit. I. F. BVDDEVS diff. polit. de *Exped. cruc.* Halae 1694. P. P. Nec dubitabis, si euolueris eius argumenti scriptores, quorum catalogum exhibet DAN. WILH. MOLLER diff. de *Expeditionibus Cruciatibus* Altorfi 1709. P. P. adiectum. Conf. BLONDELLI II. MAIMBOVRG *Histoire de la Croisade.*

*h)* Helenam, Constantini M. matrem, pietate ductam iter in Palaestinam instituisse memorant EVSEBIUS de *Vita Const. M.* L. 3. et THEODORETUS H. E. L. I. c. 18. idemque Saec. V. fecisse Eudoxiam Theodosii II. uxorem auctor est SOCRATES H. E. I. VII. c. penult. Scribit FRANC. QVARESIMVS *Elucidat. Terrae S.* l. VII. p. 771. Hierosolymitanos peregrinos ex pia terrae S. uisitatione fructum uberem bonorum operum colligere, et post illam ad uitae maiorem perfectionem tendere. Ego uero haud negauerim, hanc opinionem quorundam Principum animos ab eo tempore occupasse, quo D. BERNHARDVS Clareuallensis eiusmodi laudare coepit itinera, ac edente Urbani II. P. R. fraude apud BONGARSIVM *Gestis Dei per Francos* T. I. p. 31. Hinc, quamquam per saepe longe alia itineris Hierosolymitani causa erat, religio tamen eadem nomen dabat. Sane Henricus Leo

insidiis Bulgarorum circumuentus, ait: se seruatum iri a Deo pro cuius nomine peregrinaretur apud ARNOLDUM Lub *Continuat. Chron. Slau. Helmold.* l. III. p. 145.

*i)* Composuit is περὶ τῶν ἀπίστων εἰς Ἱεροσόλυμα *Epistolam*, quam pec. libello gr. et lat. cum notis et dissertatione: de peregrinationibus superstitiosis, ob praestantiam edidit PETR. MOLINEVS Hannon. 1607 in 8. Ibi sententiam dicit de iis, qui in parte pietatis ponebant, uisere loca Hierosolymorum, eos nempe aliquid non mandatum a Deo uelle agere, nec adesse huius disciplinae necessitatem, quod in omni sede terrarum constituta sint regna caelorum. Idem sentiunt HIERONYMVS ep. ad *Eustoch.* AVGVSTINVS, CHRYSOSTOMVS, quorum placita collecta uide a M. FOERTSCHIO et I. G. DORSCHAEVS in differt. de *his peregrinat.*

*k)* Si uera esset fabula de Caroli M. itinere Hierosolymitano, quam primus Urbanus II. P. R. protulit, inani gloria motus fuisset Imperator ad eiusmodi in Palaestinam iter. Sed dudum ea explosa est a HAHNIO *Deutsch. Reich. hist.* P. I. p. 77. Nec quosdam e Galliae regibus eandem habuisse causam negare uidetur *Vir summus* IOH. DAN. SCHOEFFLIN *Comment. hist. de Sacris Galliae regum in Orientem Expeditionibus* Argent. P. P.

*l)* De Wilhelmo Pictau. et Ida March. Austriae, scribit Auctor *Chronici Hierosolymit.* Helmst. 1584 editi: *Wilhelmus et Ida lexio nup. innotuerunt cum omni uoto quod deuouerant in Ierusalem.*

m) De



arum studio *m*) uel taedio rerum domesticarum, *n*) aut aliis cauffis moti, illuc magno agmine proficiscerentur. Nec frustra futurus sum, si contendero, FRIDERICVM Pr. Elect. religionis reliquiarumque studio ad mouendum in Palaestinam inuitatum fuisse, propter ea quod itineris euentus rem comprobauit. Ingentem enim reliquiarum copiam inde adlatam aedi O. O. D. D. eo modo ac Henricus Leo, S. Blasii Brunsvigae templo, intulit, *o*) haud neglectis tamen aliis melioris notae ornamentis, ab ipso ex Oriente aduectis, aedique perliberaliter dicatis, et uelut *ἀναθήματα* adpensis. *p*) Ipso in itinere, et augusto Germaniae Principum et Procerum *q*) comitatu, hominum etiam litteratissimorum, eius praecipue, qui condendae Vitebergae academiae Electori auctor suaeque fuerat, Mart. Pollichii Mellerstadii, secum quoque habuit celeberrimum pictorem, arte sua, et in Saxonem fide nobilissimum, LVCAM

CRANA-

*m*) De Henrico Leone Duce Bau. et Saxon. scribit ARNOLDVS LVB. c. l. p. 258. edit. Bangerti quod reuersus ditauerit domum Dei h. e. templum S. Blasii Brunsvicense, reliquiis sanctorum, quas secum attulisset, inter quas etiam fuerint brachia Apostolorum plurima. Ex cuius itineris euentu concludo, studium reliquiarum Henricum ad Palaestinam adeundam potissimum mouisse. Vestiuit auro et argento has reliquias, ex quibus plurimas hodie Hannouerae seruari scribit IOH. FRID. SCHMIDIVS p. 83. eruditae et satis spissae Dissert. qua *Henr. Leonis iter Hierosolymitanum* Helmst. 1711. P. P.

*n*) Ita de Welphone IV. Duce scribit Monach. Weingart. apud LEBNITIVM scriptor. rer. Brunsvic. T. I. p. 785. uolens et de excessibus suis difficiliorem satisfactionem exhibere, Hierosolymitanum iter arripuit. vide AD. WILH. HENICHIJ diss. de itineribus religiosi quorundam Principum Guelficorum in Palaestinam Helmst. 1724. P. P. p. 17.

*o*) Satis longum catalogum harum reliquiarum, quarum multitudine iam antea laborauerat templum, noua accessione auctarum, habet MEISNERVS *Descr. Eccl. Colleg. OO. SS.* p. 90. seqq.

*p*) Scribit GE. FABRICIVS *Orig. Sax.* l. VIII. init. Electorem e Cypro, Rhodo, Corcyra et Venetia, picturas, tabulas, inscriptiones, aliaque monumenta quam plurima ad cognitionem historiarum profutura attulisse, ex quibus non pauca aedi huic attributa sunt, eidem ornamento ad posteros futura. Quo pertinet pictura, qua forma et longitudo Christi delineatur, praegrande et albicans cornu uenatorium, et alia a MEISNERO c. l. p. 146. seqq. recensita.

*q*) Socii itineris fuere Christophorus Dux Bauariae, Philippus, Ascaniae, Balthasar, Schwartzburgi, Henricus Stolbergi, Henricus Gerae Comites. Ex e quibus Misnicis stipatus Elector fuit a Bunauio, Einsidelo, Hopfgartenio, Pflugio, et compluribus aliis ad centenarium fere numerum, quos

quos



CRANACHIVM patrem, qui quaecunque in uia, praecipue Terra Sancta, notatu digna obuenerent, penicillo adumbraret. r) Et is quidem Lucas cui nec ars, nec *αυτοψία* defuit, factus est iussu Principis longe felicissimus pictor tabulae, quam suscepimus iam describendam.

Est autem illa lignea, forma minoris altaris, duobus alis quae in medio complicari et expandi possunt, alta pedes Rhinlandicos 5. lata pedes 3. pollices 5. cum octaua parte pollicis, uel si mauis pedes Dresdenses, tabulae *altitudo* est pedum Dresdensium 5, pollicum  $5\frac{3}{4}$ , *latitudo* 3. pedum 9. pollicum ubi expansis deinceps alis habebis totidem. Praebent in ea situs regionum, urbium, castellorum, et multarum rerum aliarum signa et historicae notationes, uiuis coloribus depictae, dulce spectaculum. Habes ibi omnia eleganter picta, quae in Palaestina egit fecitque Fridericus, insertis etiam ueterum in ista regione oppidorum *ἑρεπίσις* et additis inscriptionibus rerum magnarum, quae singulis in locis gestae sunt. Vides uelut amphitheatrum pietatis, eo tempore in Palaestina exercitae, et humani ingenii in rebus, quae non praecepit Deus, et excogitandis, et perficiendis, assiduitatem.

Eam de ligno tabulam iussu Friderici Sapientis a Cranachio Seniore pictam, Iohannes Elector eo tempore, quo Friderico fratri statuam aeneam poni in templo curabat, haud procul altari muro inclusam, ad huius monumenti s) sinistram affigi praecepit. Eo situ, et ob concamerationem quae superius circumdabat Electorale monumentum, factum est, ut An. MDCCLX. flammiae uis, quae exedebat templum, ad tabulam istam non penetraret, potius ea uelut ahaeneus murus intacta consistens, reli-

quos recitat I. S. MÜLLER *Annal. Dom. Sax.* p. 56.

r) MÜLLER c. 1. *Er begab sich zum heiligen Grabe nebst den berühmten kunstreichen Mahler Lucas Kranachen. sonst Müller genannt, um alles remarquables auf der Reise entwerffen und abmahlen zu lassen.*

s) Exhibet hoc FRIDERICI Sapientis monumentum in aes incisum SAM. REYHER in *Monumentis Landgrau. Thur. et Marchion Misniae Gothae* 1687. editis Et si enim liber iste insertus T. II. *Scriptor. Rer. Germ.* MENKEN. habeatur, tabulae tamen aeneae ibidem repetitae non sunt.






reliquarum, quae perierunt, picturarum fortunam, secunda eluderet. Quo loco, etsi praeterito anno, ob noua in aede opera facienda, illa mota fuerit, et securitatis causa in uestiarium templi translata, erit tamen, ad finem perducto, auxiliante diuina gratia, exaedificandi templi negotio, ad pristinum locum reuersura.

Ea nunc foret a nobis paullo plenius describenda, et singula locorum aliarumque rerum memorabilia ibidem, partim depicta, partim signis et nominibus distincta, in usum scriptorum de Palaestinae rebus, exponenda. Neque enim dubitandum est, multa ab historiarum eius aetatis conditoribus tradita, huius ope tabulae feliciter emendari posse. Sane, qui *Benedictum Accoltum* nouissime eleganter edidit HENR. HOFNIDERVS, notas Autori subiectas non inutiliter locupletaturus fuisset, ei si licuisset hanc uidere Tabulam. Sed quod nunc non uacat, alio die, et, quia in aes incidere tabulam curabimus, forte maiori cum Lectorum commodo, agamus.

Nam expediendum est id, cuius causa haec duximus praefanda. Indicanda nimirum est oratio, quam ex *Legato S. hiberniano* a. d. xxviii. Aprilis in Auditorio Maiori habiturus est, *Generosissimus Iuuenis ERNESTVS GOTTLOB A KIESEN-VVETTER Eques Lusatus*. Is imaginibus Maiorum suorum, praecipue *Perillustris Patris, iudicii prouincialis in Lusatia Sup. Comitibus*, haud aliter ac Themistocles, tropaeis Miltiadis excitatus, ita res in hac academia instituit, ut uirtute facile emereret, et gentilitium decus, morum integritate et industria haud uulgari conferuare studeret. Dicet hora VIII. de nobili et iucunda re, atque *Disciplinam Spartanorum neque publicae neque privatae felicitati admodum fuisse ostendet*. Ad quem Oratorem felicissimum audiendum, PROCERES VTRIVSQUE REIPUBLICAE GRAVISSIMOS, GENEROSISSIMOS item NOBILISSIMOSQUE ACADEMIAE CIVES officiose et peramanter inuitamus. P. P. in Academiae Vitebergensi, Domin. in Albis depositis, quam Quasimodogeniti uocant

An. MDCCLXVII.



Datur